



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

240. Quot personæ requirantur ad constituendum primò collegium, conferendâque congregationi alicui jura collegii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Quaestio 239. Quid hic intelligatur nomine Collegii Ecclesiastici?

Respondeo: intelligi congregationem Clericorum (auctoritate Superioris collectorum, & certis Regulis colligatorum. Pass. loc. cit. num. 7.) qui veluti fratres sub uno Patre, vel veluti membra unum corpus Ecclesiasticum constituunt; Quale quia non constituunt Vicarii, Sacellani, aliterve beneficiati, qui etsi eidem Ecclesiae, vel uni alteri obstricti sint, & deserviunt, subiecti etiam uni v. g. Parocho; ut singulares tamen; & ut multitudinem facientes vivunt, variis ministeriis & officiis deputati; (unde nec communi utuntur sigillo. v. dilecta. juncta gl. de excessibus Pralat. nec communem procuratorem, vel syndicum constituere possunt. l. i. ff. quod cuiuscumque universit. nomine. &c.) ad eos de jure communi non spectat electio Pralati. Barb. de off. Episcopi. p. 1. cit. c. 3. Fagn. in c. nullus. h. t. num. 31. sed nec sibi Superiorem eligere possunt. Pass. loc. cit. Porro unde cognoscatur, an plures sint in Ecclesia; vide apud Jo. Andr. & alios ad cit. cap. dilecta. &c.

Quaestio 240. Quot personae requirantur ad constituendum primò Collegium, conferendamque congregationi alicui jura Collegii, seu universitatis?

Respondeo: ad primò constituendum Collegium tam Ecclesiasticum quam civile requiri minimum tres. Sylv. c. collegium. Gl. in c. 1. h. t. duo (quamvis hi duo duos sufficere velint ad congregationem; quam tamen distinctionem inter Collegium & congregationem, utpote nec in jure, nec in ratione fundatam communiter rejiciunt alii. Pirh. hic. num. 10.) Laym. ad cit. c. 1. num. 1. &c. contra Abb. ad c. 1. h. t. id negantem de collegio ecclesiastico, quod putat ab initio constitui posse ex duobus, quorum neuter sit Pralatus alterius; eò quòd ex Innoc. ad c. cum ignores. &c. notet necessariù non esse ad rationem Collegii, ut habeat Pralatum vel Rectorem. Item contra Barb. Mascari. Archid. Tambur. pluresque alios cit. à Pass. n. 4. qui tamen dum duos sufficere tradunt ad Collegium, non tam de Collegio primitus constituendo, quam de eo jam constituto, ejusque juribus penes duos conservandis loqui videntur. Ratio responsionis est, quòd sic constitutum sit à jure civili l. Neriarius. &c. ff. de verborum signif. à jure civili autem recedendum non sit, nisi dum à jure canonico corrigitur, aut peculiare quid pro Ecclesiasticis statuitur. Pirh. loc. cit. Jam verò hoc non fit: nam dum Pontifex c. 1. h. t. ait: Nullus in Ecclesia, ubi duo vel tres fuerint in congregatione, nisi eorum electione eligatur presbyter (id est Pralatus. Innoc. ad c. 1.) id solum voluit definire: jus Pralatum eligendi ad Collegium pertinere, licet duo tantum super sint ex Collegio post mortem Pralati.

Quaestio 241. Quot personae sufficiant ad Collegium jam constitutum, ejusque jura conservanda?

Respondeo: duae, vel etiam una. l. sicut. ff. quod cuiuscumque universit. nomine. &c. At b. in c. 2. de postul. Gl. in c. 1. h. t. minus enim plerumque ad conservationem, quam primam rei constitutionem requiritur. Unde, dum è tribus primò constituentibus Collegium moritur, vel congregationem deserit unus (idem est, si suffragio suo renunciet. Pass. loc. cit. num. 9.) poterit unus alterum eligere in prala-

tum. Jo. Andr. in reg. juris 80. in 6to. Et si moriatur duo, penes unum remanebit Collegium, non quidem actu; cum hoc electionem plurium importet, sed veluti habitus; potestque is exercere actus Collegio competentes; v. g. postulare, vel potius nominare, si non se ipsum, ut voluit aliqui, saltem personam aliam idoneam. Gl. in cit. l. Neriarius. Host. in c. 2. de postul. Abb. in c. 1. h. t. num. 6. Barb. l. 1. de jure Ecclesiast. c. 19. num. 46. alique cit. à Pass. Porro mortuis omnibus, è Collegio vel alio migrantibus jus eligendi, similiaque jura ac privilegia extinguuntur, si corporalia seu personalia sunt, hoc est, directè & per se concessa congregationi certarum personarum: sicut si realia & localia sunt, hoc est, per se & directè concessa rei vel loco, v. g. Ecclesiae, monasterio, universitati, accipiendi has voces pro materiali edificio; inseparabiliter enim tunc cohaerent parietibus, adificiò directo, etiam soli fundo. c. & hoc. 16. q. 7. juxta gl. Laym. ad cit. c. 1. num. 5. Abb. ad c. 2. de postulatione.

Quaestio 242. An jus eligendi competat ei, qui verè nactus non est quasi dominium beneficii, sed solum possessionem cum bona fide, adeoque est solum in possessione juris eligendi?

Respondeo affirmativè, valetque ejus suffragium, modò ante electionem lis non fuerit contestata super illius jure eligendi; etiam si postmodum succumbat in causa sibi super hoc jure Canonici & eligendi mota, adeoque verè quòd ad proprietatem ille non habuerit hoc jus. Sequitur enim jus suffragii possessionem, non proprietatem juris. c. cum olim. & c. querelam. h. t. Fagn. ibid. citans Jo. Andr. & alios. Potesit siquidem possessor bonae fidei percipere fructus rei possessae ante contestatam litem super proprietate. l. bona fidei. ff. de acquirendo rer. dom. sed electio est quasi fructus quidam juris beneficii, sicut presentatio juris patronatus. Pirh. num. 20. ergo pertinet ad possessorem bonae fidei, jure sic disponente in favorem possessoris bonae fidei, & commodum Ecclesiae, ne incerta sit ministrorum institutio, aut diu differatur. Laym. in qq. can. de Elect. q. 27. Quod eòsque valet, ut si cum tali possessore concurrat alter alleuens, ad se spectare de jure Canonatum, & consequenter jus eligendi, hoc excludo, admittendus sit possessor, modò constet illum esse in possessione cum bona fide (quae praesumitur in possessore, eò nec contrarium probetur) cit. c. cum olim. & Argument. c. consultationibus &c. de jurepatron. Ne si proprietarius praefertur, possessor desiciatur hac ratione possessione sua sine auctoritate judicis, quod vetatur c. in literis. de restit. spoliar. Quinimò si Capitulares talem admittant possessorem ad electionem cum protestatione, ut non valeat ejus suffragium, si proprietatem beneficii reipia non habeat, inutilis sit hæc protestatio, nihilque noceat possessori, nisi hic expressè consentiat isti protestationi (quod non censetur facere tacendo; cum juxta communem DD. & Gl. in reg. juris 43. in 6. taciturnitas pro consensu habeatur, si de comodo ejus, qui tacet, agatur; non autem, si de ejus incommodo) & nolle aliter valere suum suffragium, quam si ei proprietatem beneficii reipia competat. Gl. in c. Cum una. h. t. Aliud est in possessore, de cuius possessione vel bona fide dubitant Electores; tunc enim utiliter fiet talis protestatio, & si postea compareat Superior, ad quem spectat confirmatio, illum